



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

4. De beneficio conseruationis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

Luc. 12.

Quàm peculiaris & profusa illa Dei tui erga te immeritum liberalitas! quàm rara & inæstimabilis gratia! Caue ne sis ingratus. *Omni, cui multum datum est, multum requiritur ab eo.* Affectus ejdem gratitudinis, amoris, zeli gloriæ Dei, renouandi, cum propositis practicis eos deinceps opere ipso exprimendi.

IV.

De Beneficio Conseruationis.

I. DEUS, qui te ex gratuita bonitate sua talem, quoad corpus & animam, condidit, ac talibus donis naturæ & gratiæ ornauit, ex eadem te, cum omnibus donis collatis hucusq; conseruauit, atque etiamnum conseruat, & quasi singulis momentis de nouo creat; sic enim hæc omnia à Deo dependent, vt nisi illa singulis momentis cōseruaret, in nihilum suum rediret, sicut lumen per aërem diffusum sublato corpore luminoso euanescat, necesse est.

Quot ergo sunt temporis momenta, tot noua à Deo accipit beneficia; & quidē tam multa ac varia, quàm multa & varia corporis & animæ dona tibi sunt collata. Quàm meritò ergò sequen-

quendum tibi foret consilium D. Edmundi sic monentis: *Debes semper de In speculo Deo cogitare & loqui, propter tot beneficia, Eccl. c. 3. qua tibi confert tam sollicitè, ac si totius mundi esset oblitus: Et D. Bernardi: Sicut nullum est momentum, quo homo nominatur, vel fruatur bonitate ac misericordia Dei, sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem nõ habeat in memoria. Gratitude, fiducia, amor, zelus acceptis dotibus sanctè utendi.*

II. Idem Deus te, ex eadem gratuita benignitate sua, præservavit hucusq; & nunc præservat à tot, tamq; varijs miserijs corporis, & animæ; à tot periculis vitæ temporalis, & æternæ salutis; à tot tamq; horrendis peccatis æternisq; supplicijs in quæ incidisses, aut incidere potuisses; & nunc incidere, aut incidere posses, nisi gratia sua gratuita te præservâisset, & nunc præletuaret. Quot ergo in alijs cernis, audis, legis, corporis, & animæ miserijs, tot agnosce tibi à Deo singulis momentis exhiberi misericordias. Gratitude, humilitas.

III. Similiter omnes idem Deus creaturas, quas in servitium, commodum, solatiumq; tuum condidit, aut nunc producit, ex eodem paterno affectu

conseruaret hucusque, & conseruat, cum singulis momentis, quoad esse, posse, operari ab ipso depēdeat. Quot ergo sunt eiusmodi creaturæ, quas singulis momentis in gratiam cui Deus conseruat, tot nouis benedictionibus dulcedinis suæ singulis momentis ex gratuita beneficentia sua te coronat. Gratitude, zelus sanctè vtendi creaturis ad gloriam Creatoris.

7.

De Beneficio Redemptionis.

I. **F**ilius Dei, ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, ab æterno, præuiso voluntario lapsu Adæ, decreuit genus humanum perditum reparare, atque ex durissima peccati, mortis, diaboli seruitute liberare, modo ad eò miro, arduo, sublimi, quo fide constat esse factum: videlicet omnia, & singula illa 33. & amplius annis faciendo, dicendo, patiendo, quæ fecit, dixit, passus est, & quidem pro omnibus, & singulis, quos præuidebat fore tam ingratos, decreuit offerre æterno Patri omnia & singula sua merita; pro Electis verò (in quorum numero te quoque censeri speras) peculiariter & efficaciter ad certum